



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. IV. Conversionem hominum magnæ autoritatis, qualis erat Victorinus, plus gaudii afferre, tum quia multis noti sunt, tum quia exemplo suo plus prosunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

titur, periculis acui & intendi. Quare cum periclitari advertimus id, quod amamus, depulso periculo magis hilarescimus, majusque gaudium sentimus: quia vehemens metus, torpescentem veluti amorem excitavit.

CAP. IV.

Conversionem hominum magna autoritatis qualis erat Victorinus, plus gaudii afferre, tum quia multis noti sunt, tum quia exemplo suo profunt.

1. **A** Ge Domine, & fac; excita & revoca nos; accende, & rape; flagra, dulcesce; jam amemus, & curramus. Nonne multi ex profundiore tartaro cæcitatibus, quam Victorinus, redeunt ad te: & accedunt, & illuminantur recipientes lumen? quod si qui recipiunt, accipiunt à te potestatem, ut filii tui fiant. Sed si minus noti sunt populis, minus de illis gaudent, etiam qui noverunt eos. Quando enim cum multis gaudetur, & in singulis uberius est gaudium: quia fervefaciunt se, & inflammantur ex alterutro. Deinde quod multis noti, multis sunt autoritati ad salutem, & præeunt secuturis. Ideoque multum de illis, & qui eos præcesserunt, latantur: quia non de solis latantur. Absit enim, ut in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur personæ divitum, aut præ ignobilibus nobiles: quando potius in- 1. Cor. 13.
firma mundi elegisti, ut confunderes fortia; & ignobilia hujus mundi elegisti, & contemptibilia, & ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt, ut ea, quæ sunt evacuares.

2. Et

2. Et tamen idem ipse minimus Apostolorum tuorum, per cuius linguam tu ista verba sonuisti, cum Paulus proconsul per ejus militiam debellata superbia, sub leve jugum Christi tui missus, esset regis magni provincialis effectus, ipse quoque *a* ex priore Saulo, Paulus vocari amavit, ob tam magnæ insigne victoriæ. Plus enim hostis vincitur in eo, quem plus tenet, & de quo plures tenet. Plus autem superbos tenet nomine nobilitatis, & de his plures nomine auctoritatis. Quanto igitur gratius cogitabatur Victorini pectus, quod tanquam inexpugnabile receptaculum diabolus obtinuerat, Victorini lingua, quo telo grandi & acuto multos peremerat: tanto abundantius exultare oportuit filios tuos, quia rex noster alligavit fortem: & videbant vasa ejus erepta mundari, & aptari in honorem tuum, & fieri utilia domino, ad omne opus bonum.

Mt. 22.

N O T Æ.

a Ex priore Saulo Paulus vocari amavit) Varias sententias, cur Apostolus assumeret nomen Pauli, cum ante vocaretur Saulus, vide apud Baron. S. Augustinus hic censet, id nomen ab Apostolo adscitum tanquam insigne victoriæ, postquam Proconsulem Sergium Paulum, Christo adjunxerat. Certe cum ab illo tempore, primum inveniatur Paulus appellatus, nec posthac aliquando nomine alio, quam Pauli sit dictus, admodum verisimile est, tunc illi Pauli nomen fuisse inditum, in memoriam tam insignis conversionis Pauli proconsulis, & in humilitatis documentum: nam Paulus idem est, quod parvus; & memoria tam nobilis victoriæ tum Apostolum ipsum, tum alios fideles ad Dei laudes excitare potuit.

To. 1.
A. C. 36.

Actor. 13.

V S V S.

Ostendit S. D. inter Christianos nullam aliam esse debere causam, præponendi homines claros & nobiles, obscuris & plebejis, quam quia exemplo & autoritate, tales plus profunt Ecclesiæ Dei, quam alii.

CAP. V.

Exarsisse se in imitationem Victorini, sed violentiam concupiscentia & prava consuetudinis, nondum potuisse superare.

1. **S** Ed ubi mihi homo tuus Simplicianus, de Victorino ista narravit, exarsi ad imitandum. Ad hoc enim & ille narraverat. Postquam vero & illud addidit, quod Imperatoris Iuliani temporibus, lege data prohibiti sunt Christiani docere literaturam & oratoriam: quam legem ille amplexus, loquacem scholam deserere maluit, quam verbum tuum, quo *linguas infantium facis disertas*, non mihi fortior, quam felicior visus est, quia invenit occasionem vacandi tibi. Cui rei ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa, facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam, sibi met innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vel-

Sap. 19.